



#### IV) De tartaris.

1) SEquitur de tartaris. Qui sicut dictum est, plus omnibus uidentur distare a salute pro eo, quod nullam legem habent nisi nature, que ualde corrupta est in eis ex praua consuetudine. Nec habent ieiunium, nec templum, nec sacerdotium, nec sacrificium, nec aliquod adminiculum exterius, quod eos uite spirituali coniungat. Nec habent philosophiam moralem uel naturalem, nec urbanitatem, nec reuerentiam ad aliquam personam extraneam. Nec habent amorem ad aliquem locum, nec terram colunt, nec seminant, nec arbores plantant, nec domos edificant. In domibus non habitant, nec in ciuitatibus sed sub tentoriis. Nullam artem faciunt.

2) Credunt Deum esse, et expectant quandam resurrectionem ad istam eandem uitam. Unde et mortuos suos sepeliunt cum carnibus coctis et uestibus mutatoriis, et cum pecunia et tesauris, ut habeant quid expendant, quando resurgent. Tartari ergo faciliter efficiuntur sarraceni. Et iam pro magna parte conuersi sunt, immo peruersi, ad legem sarracenorum propter largam uitam et consimilem resurrectionem. Meliores tamen reputant christianos quam sarracenos.

3) Sed difficulter accedunt ad nos propter legem strictam, ut dicunt, et quia habent plures uxores et filios de eis, et diligunt aliquando magis ultimam quam primam, et quia nolunt ieiunare et quia semper comedunt carnes. Non enim habent panem, nec uolunt laborare ut habeant. Unde difficile esset nimis inducere super multitudinem tartarorum quadragesimam uel aliquod longum ieiunium.

4) Preterea tartari habent aliud maximum impedimentum sue salutis. Nam //241u// in India sunt quidam habitu et nomine religiosi, reuera diabolici et arte diabolica prenosticantes quedam futura et ostentantes insolita prestigia. Isti enim tartaros uisitant et ludificant, et tartari eis super omnes alios homines acquiescunt. Vocantur autem "bacscite". Unde optima uia esset, ut predicatorum eos prius confutarent, sicut apostoli faciebant de maleficis.

5) Possunt autem tartari reduci uia et confabulatione naturali et rationibus et per miracula. Et incipiendum est a regibus et maioribus eorum, nam plebei et populares eorum sunt ita stolidi et bestiales, quia nullo modo uolunt conuerti, nisi promittatur eis pretium pecunie. Unde dicunt "Quid dabis mihi, si efficiar christianus?"

6) Sarraceni autem nihil eis grauitatis imponunt, sed recipiunt eos ad uiam, que lata est et spaciosa, ducens ad perditionem, et promittunt eis resurrectionem et felicitatem, quam

desiderant, scilicet luxum, gulam, pecuniam, et honores. Insuper dant eis pretium, quod hic<sup>(1)</sup> accipiant. Unde factum est, quod ad huc nulla magna multitudo de tartaris conuersa est ad fidem nostram, sed aliqui reges et regine et excellentes uiri et mulieres.

7) Magnus autem imperator tartarorum libenter tenet fratres in curia sua, et eos honorifice tractat, sed magis propter secularem pompam quam propter aliquam spem de conuersione ad fidem.

8) '[De]<sup>(2)</sup> aliis nationibus sub compendio.' Sunt preterea in partibus orientis quedam alie secte uel nationes, de quibus non oportet facere specialem tractatum, quia reducuntur ad predictas.

9) Sunt namque armeni, sed hi sunt iacobini. Ponunt enim unam naturam in Christo, et non recipiunt concilium Calcedonie, quia in eo fuit dampnatus Eutices, qui ponebat unam naturam in Christo.

10) Sunt etiam copti et precipue in Egypto. Et hi sunt similiter iacobini.

11) Sunt etiam maranite, et parum differunt a iacobinis. Et habent suum catholicum circa montem Libani.

12) Sunt uero georgiani, russi, yberi, alani, ruteni. Isti omnes uel pro maiori parte sunt greci.

13) De grecis autem nihil specialiter dixi, quia sunt nobis ualde propinqui loco, littera, ydiomate, lingua, moribus, ritu, //243r// fide, uel credulitate. Immo experientia teste principalis controuersia inter nos et eos non est de fide, sed de dominio temporali et imperio constantinopolitano, quod greci nolunt dare latinis. De processione uero Spiritus Sancti faciliter concordarent nobiscum, si libido dominandi et cupiditas acquirendi de medio tolleretur.

## Recapitulatio

14) HEc igitur, que de nationibus orientalibus rudi et simplici stilo descripsi, conuersando cum eis pluribus annis per experientiam ita esse cognoui.

15) Notauit autem sub compendio, ut darem aliqualem occasionem proficiendi fratribus, qui uolunt ire, nec possunt portare libros, nec sciunt motiua et positiones incognite nationis.

1. <sup>1</sup>not hoc.

2. <sup>2</sup>De add.